DEPVTATIO ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI, Cardinalis Placentini, in Sedis Apoſtolicæ Legatum de Latere ad Regnum Franciæ.




PARISIIS,
Apud Robertum NIVELLE, via Iacobæa.
ET
Apud Rolinum THIERRY, via Iacobæa, ſub ſigno Lilij albi.
M. D. XCII.

CVM PRIVILEGIO.

THE NEWBERRY LIBRARY

Case
F
39
.326

1592c



47-2035

DEPVTATIO ILL^{MI} D. CARDINALIS PLACENTINI, in Sedis Apoſtolicæ Legatum de Latere ad Regnum Franciæ.

CLEMENS *Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, dilecto filio Philippo tituli S^{ti} Honuphrij Presbytero Cardinali Placentino nuncupato, in Regno Franciæ noſtro, & Apoſtolicæ Sedis de latere Legato, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. In graui mole curarũ, quas ſecum trahit ſolicitudo vniuerſalis Eccleſiæ, nulla grauior eſt ea, quã inteſtina bella nobiliſſimi iſtius Regni Franciæ, magno cum fidei Catholicæ detrimento, eidem Regno attulerunt. Muneris igitur nobis à Deo impoſiti ratio exigit, vt ad ea compeſcenda non ſolum cogitationes, ſed conſilia & ſtudia noſtra conferamus. Atque hoc ipſum cùm per multa alia quotidie à nobis requirunt, tum præcipua merita Chriſtianiſſimorum Regni illius Regũ, qui Romanis Pontificibus, difficillimis etiam temporibus præſtò fuerunt, ſuo iure expoſcunt. De quorum quidem meritorum præſtãtia, quoties cogitamus (cogitamus autem ſæpiſſimè) toties ad auxilium eidem Regno ferẽdum vehementiſſimè inflamamur. Nam & quies publica ſæpius agitata adeò iſtic perturbatur, & hæreticorum, omni con-*

tagionis genere peſtilentior lues, aliquoties repreſ-
ſa, ita rurſus vires ſumere nititur, vt præcipuos vi-
ros Catholicos, odiis atque armis inter ſe concertã-
tes, primo quoque tempore conciliandos; & creſ-
centes hæreticorum conatus quàm primũ compri-
mendos eſſe ſentiamus. Cùm verò vtrúmq; ex Cõ-
ſtitutione Regis, qui pacis publicæ defenſor, & Ca-
tholicæ fidei cultor verus ſit, maximè pẽdeat; idq;
non ſolùm in ipſo Regno optimi quique expetere,
ſed in vniuerſo terrarũ orbe, Catholici etiã Princi-
pes vniuerſi optare videantur; in eo, amota omni
humani conſilij ratione, ſoliúſque Dei cauſa ante
oculos poſita, præcipuas ſolicitudinis noſtræ partes
collocãdas eſſe exiſtimauimus. Habita igitur cum
venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardina-
libus, deliberatione matura, de eorundẽ fratrum
cõſilio, hoc tẽpore Te, qui ob excellentẽ prudentiã,
& rerũ iſtius Regni experientiã, eãdem Regis Ele-
ctionem apud Regni Prælatos, Proceres, cæteráſq;
omniũ Ordinũ perſonas, ad quas Electio ſpectabit,
procurare poteris, in Regno Frãciæ præfato, illiúſq;
Prouinciis, Dominiis, Ducatibus, Ciuitatibus, &
cæteris aliis locis, ad quæ Te, occaſione dictæ Lega-
tionis, declinare contigerit, Noſtrũ & Sedis Apo-
ſtolicæ de latere Legatum creãdum, faciendũ, con-
ſtituendũ, & deputandũ duximus; prout auctori-
tate Apoſtolica, tenore præſentium, creamus, faci-
mus, conſtituimus, & deputamus. Illud autẽ Tibi

in ea re, humanis pariter cogitationibus poſthabitis, propoſitũ omnino eſſe debet, vt qui eidem Regno præficiendus eſt, talis ſit, cui ob eximiã pietatem, & ſingularem Catholicæ Religionis cultũ & zelum; atque ob virtutes tãto muneri pares, & regimini conuenientes, illius adminiſtratio, omnium bonorũ cõſenſu, meritò deferatur. Cum ſiquidem, qui populos in Catholica fide, benedicẽte Domino, perſeuerantes gubernaturus eſt, fidem quoque Catholicã, quam defenſurũ eſſe ſe iureiurãdo ſpõdere debet, ſincero corde tenere oportet; vt iuſiurãdi ius comites habeat Veritatem, Iudiciũ, & Iuſtitiam. Fieri nãque nõ poteſt, vt quiſquã id verè tueri velit, quod ex animo nõ colit. Et regiminis ratio docet, quod à Principe emanat, id in populum facilè deriuari. Quod naturæ etiã ordo confirmat: Nequaquã enim virtus illa vitalis, ad corporis partes permeat, niſi reſideat in corde. Et facultas mouẽdi & ſentiendi, tunc demum in membra diffunditur, cùm viget in capite. Quamobrẽ iſto Regno dignus eſſe non poteſt, qui ſanctam Cath. Eccleſiam oppugnat, qui Orthodoxã fidem deſtruit, qui pios & Catholicos perſequitur, qui hæreticorum perfidiam fouet, qui contraria Catholicorũ diſsidia cõponere non curat, ſed mutuas eorũ diſcordias quotidie magis inflammat. Cæterum neque Regnũ eſt, vbi hæreſis imperat, vbi Legũ Diuinarũ confuſio, vniuerſa perturbat. Magno præterea conſilij de-

lectu quærendus, & inueniendus eſt, qui eiuſdem Regni gubernacula ſapiẽtiſsimè moderetur & regat. Tum quia altiſsima ſunt omnia Regnorũ negotia, quæ ſi infirmi, aut minimè apti ſuſcipiãt, ipſarum rerum magnitudine deprimuntur: tum quia hac ipſa, de quibus agimus, tantis difficultatibus implicata ſunt, vt ſine cuiuſquam controuerſia, non niſi valde digno, & ad regendũ maximè idoneo deferri debeant. Quam quidem curam ipſimet libẽti animo cõplexi eſſemus, & Maiorũ noſtrorũ more, ad idem Regnum proficiſci, atque etiã in eo, pro Dei omnipotẽtis gloria, Catholicæ fidei defenſione, & cõmuni omnium quiete, ſi ita neceſsitas poſtularet, ſanguinem ipſum, ac vitam profundere optauiſſemus; niſi Te, pro tua ſingulari virtute, & pietate, hac in re, & muneri noſtro cumulatè ſatisfacturum, & bonorum votis egregiè reſpõſurum confideremus. Quocirca Circumſpectionem tuam monemus, vti Noſtro & Sedis Apoſtolicæ nomine, eidẽ Electioni, prout è re eſſe videbitur, ſuo tẽpore intereſſe procures; ac præmiſſa omnia ipſis Regni Prælatis, Proceribus, atq; omnium Ordinũ perſonis vniuerſis perſuadere, & quæcumque alia in præſentia cognoueris in Domino ſalubriter expedire, ea omni ſtudio, opera, fide, auctoritate, induſtria, & diligentia præſtare ſtudeas. Atq; adeò viros Catholicos Primarios, qui pro eiuſdem fidei tuitione, non ſolum deliberationum, ſed actionum

ferè omnium pondus, magna cum pietatis & conſtantiæ laude, hucvſque ſuſtinuerunt, atque in poſterum ſuſtinebunt, in vniuerſis & ſingulis Regni partibus protegere, & cõſeruare; hæreticos ad Sanctæ matris Eccleſiæ gremium reducere, hæreſes ipſas tollere, Prælatorũ denique, Procerum, ac Nobilium, omniúmque Regni Ordinũ animos, in eadẽ fide Catholica confirmare, & ad cõcordiam reuocare coneris. Vniuerſos verò, & ſingulos venerabiles fratres noſtros Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos: ac dilectos filios Abbates, cæteróſque Eccleſiarum, & Monaſteriorũ Prælatos, & Clerum vniuerſum, ac Proceres, Principes, Pares, Duces, Marchiones, Comites, Barones, cæteróſq; Nobiles viros; ac reliquos Ordines, & perſonas Regni prædicti, per viſcera miſericordiæ Dei, ac Domini noſtri Ieſus Chriſti, hortamur, obſecramus, & obteſtamur: vt vetere maiorum ſuorũ virtute, ac cõmuni, quandiu in Catholica fide colenda, vna in ipſis mens & cõſenſio fuit, trãquillitate ad memoriã reuocata: ij qui Catholicorum Duces hactenus fuerũt, quíque eorum ſtudia ſecuti ſunt, in inſtituto & officio perſeuerent: qui vero hæreticorũ fautores extiterunt, & qui eorum partibus adhæſerunt, reſipiſcant; ab iis, quibuscum nullum veræ cõiunctionis vinculum eſſe poteſt, ſe omnino diſiungant, & concordibus, quantum fieri poterit, ſuffragiis, eum Regem eligãt, qui Catholica fide piè

& inuiolatè cuſtodita, & publica tranquillitate conſtituta, pertinacium hæreticorum conatibus reſiſtat, Catholicorum nutantium mentes confirmet, & omniū Orthodoxorū, ac verè fideliū corda lætificet. In primis autem Te, qui Noſtro & Sedis Apoſtolicæ munere fungeris, qua decet veneratione proſequantur, & tuis ſalutaribus monitis, atque conſiliis ita acquieſcant, vt malorum metu liberari, & bonorū omnium cumulo, tum in præſenti, tum in futura vita, augeri mereantur. Nulli ergo omnino hominū liceat hanc paginam noſtræ Conſtitutionis, Creationis, Deputationis, Monitionis, Hortationum, Obſecrationis & Obteſtationis infringere, vel ei, auſu temerario, cōtraire. Si quis autem hoc attētare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. DATVM *Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingēteſimo nonageſimo ſecundo, decimo ſeptimo Kal. Maij. Pontificatus noſtri anno primo.* Sic ſignatū,

G. Baltonus Prodatarius.

M. Veſtrius Barbianus.

Super plica, S. De Vrſinis. *Et à tergo*, Regiſtrata apud Marcellum Secretarium: *Firmata bulla plumbea ſub cordula canapis.*

Leu, publié & regiſtré, ouy & ce requerant le Procureur general du Roy. Faict en Parlement, le xxvij. d'Octobre, 1592. *Signé*, DV-TILLET.